

**IV. ^aLITTERAE UNIVERSALES CONTRIBUTIONUM PUBLICARUM
IN COMITIIS ^bPIOTRCOVIENSIBUS INSTITUTARUM^b 1538^a**

^cSigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, totiusque Prussiae ac Masouiae etc. dominus et heres^c. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscumque tam terrestribus quam civitatum et oppidorum honoribus insignitis ad quorum notitiam hae nostrae pervenerint litterae et praesertim in palatinatu^d et districtibus eius^e consistentibus, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram regiam. Reverendissimi ac reverendi in Christo patres, magnifici, generosi, nobiles, famati, providi, sincere nobis et fideles dilecti. Superioribus annis ad reprimendos et arcendos impetus hostium varia iam defensionis genera tentavimus, sed omnibus tentatis nullam magis utile et reipublicae salutare experti sumus, quam id cum miles stipendiarius ad propulsandam vim hostium et iniuriam a nobis educebatur. Nam quantum publica omnium expeditio (ad quam velut ad extreum remedium confugere solemus) damni et detrimenti colonis ac omnium ordinum bonis et possessionibus anno transacto attulit, res ipsa et querelae etiam hominum testantur, ut magna hominum pars etiam ex ordine equestri sit, qui quidvis potius reipublicae causa perpeti malling, quam ut iterum eiusmodi bellum indicatur^f. Sed quod ea praesidia, quae ex milite mercenario comparabantur attinet, plerumque in eis felicitati nostrae vel militum paucitas vel fatalis quidam casus obstiterunt ut^g aliquando milites ipsi gravem fortunam et cladem subire sint coacti. Namque et proximis mensibus neque tot milites occidissent neque tanta calamitas ab hostibus nostris reipublicae illata fuisset, si provincia Russiae et Podoliae firmiora praesidia habuissent. Proinde cum videremus ab obviandum his calamitatibus et consiliis prudentibus et praesidiis firmis opus esse, diem Piotrkowiae^h generalibus comitiis ad festum sanctorum Trium Regum edixeramus [6 I 1538] in quibus omnium ordinum et senatorum regni ac nuntiorum nobilitatis voluntate et assensu eam quae infrascripta est et quae ope et salutem reipublicae allatura esse videretur contributionum decrevimus.

Imprimis et singulis mansis seu laneis agrorum, quos singuli kmethones seu coloniⁱ villarum tam nostrarum quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum colunt et possident viginti quattuor grossos communis et usualis monetae secundum antiquas quietantias contribuent ad duas temporum ratas infrascriptas, hoc est duodecim grossos pro dominica post Conductum Paschae proxima, quae Misericordia Domini^j appellatur [5 V 1538], alia vero medietas pro festo sancti Bartholomei Apostoli [24 VIII 1538]. Ea autem solutio a nobis ac primis consiliariis et ordinibus regni nostri spiritualibus et saecularibus fieri et incipi debet incipiendo videlicet solutionem huiusmodi prime ratae a dominica Palmarum [14 IV 1538] et finiendo usque ad dominicam post conductum Paschae, quae Misericordia appellatur. Et deinde pro secunda rata incipiendo solutionem a festo sancti Laurentii [10 VIII 1538] et illam usque ad festum sancti Bartholomei Apostoli inclusive terminando.

In quibus autem villis obligati sunt census perpetui seu in vim redemptionis alias na *widerkow*, is qui percipit huiusmodi censem sive spiritualis sive saecularis solvet a qualibet marca eiusdem census sex grossos cum medio, quos illi^k dominus villa et possessor defalcabit, quando ei censem debitum^l solvet, ne^m defensio reipublicae negligatur. Item domini spirituales et saeculares habentes census nudos qui non includuntur in proprietate laneorum, ut ex censibus quibuscumque annuis civitatum et oppidorum, ex teloneis, zuppis, exactione *poradne* et pontalibus, aggrealibus, navigiis, albatorii, quae vulgo *blechi* vocantur, molendinis peccuniariis, quae non solvunt mensuras in grano, sed censem annum in numerata peccunia pendunt, ex officinis minerariis et similiter officiniis vitrariis, quae *huthi* vocantur, alias ex censu illarum, qui domino solvitur et aliis id genus proventibus peccuniariis dabunt et solvent ab octoginta marcis eiusdem census et

^{a-a} Jest to tytuł zaczerpnięty z druku urzędowego. W MRPS, cz. IV, vol. 3, nr 19046, s. 83 akt ten nazywa się: Litterae universales regiae super contributionibus publicis in conventu generali Piotrcoviensi sancitis. ^{b-b} MK₂: Piotrcouensi institutis. ^{c-c} W MK₂: Sigismundus Dei gracia etc. ^d W Dr. i MK₂ pozostawiono okienko. ^e W Dr. i MK₂ pozostawiono okienko. ^f iudicatur [sic] MK₂. ^g aut MK₂. ^h Piotrkouie MK₂. ⁱ incolae MK₂. ^j Brak MK₂. ^k ille MK₂. ^l debitam MK₂.

^m ut MK₂.

proventuum decem et octo florenosⁿ in moneta per triginta grossos computatos. Et qui non habuerint octoginta marcas ex huiusmodi censu pecuniario, solvent iuxta quantitatem summae iustam partem decem octo florenorum, hoc est a qualibet marca usuali sex grossos cum medio. Medietas autem a praedictis censibus nudis solvi debet pro dominica Misericordia proxima, alia vero medietas pro festo sancti Bartholomei Apostoli.

Item domini spirituales et saeculares ac etiam advicati qui habent census pecuniarios nudos ex dominibus, quae sunt in civitatibus sub locatione seu arenda, ex balneis, ex opificibus, picis et cinerum, tabernis, cerdonibus, piscatoribus, mercatoribus, laniis, institis, sutoribus alias ex omnibus proventibus pecuniariis, qui aliunde quam ex laneis illis obveniunt solvent similiter ab octoginta marcis pecuniarum decem octo florenos in moneta ad ratas temporum suprasciptas, hoc est medietatem pro dominica Misericordia post Conductum Paschae proxima, aliam vero pro festo sancti Bartholomei Apostoli.

Palatini, castellani, succamerarii, burgabii, dignitarii, castrorum tribuni et alii omnes officiales proventus pecuniarios quoescunque et qualescunque in zuppis, teloneis vel aliubi habentes solvent etiam ab octoginta marcis decem octo florenos in moneta ad ratas temporum suprasciptas.

Item venatores, custodes equirearum nostrarum regiarum et alii subditi in serviciis sub dominis sedentes, possessiones et proventus aliquos habentes neque civilem neque quamcunque aliam contributionem solventes, solvent de qualibet laneo viginti quattuor grossos. Qui vero non habent integros laneos secundum laneos quantitatem lancei contribuent, de medio videlicet laneo duodecim grossos, de quarta parte lanei sex grossos.

Item villae nostrae regiae et dominorum saecularium castris servientes et censem non solventes solvent vigore praesentis constitutionis de qualibet laneo viginti quattuor grossos non obstante eo, quod antea publicas contributiones solvere non solebant.

Item burgrabii terrestres et castrenses et exactores, qui ex quodam abusu publicas contributiones pro regni defensione decretas, de bonis suis non solvebant, contribuere debent de omnibus bonis suis ac etiam de proventibus pecuniariis, quos habent, modo et ordine suprascripto quemadmodum alii contribuent.

Item sculteti et advocati villarum liberi non habentes census, duntaxat laneos colentes, solvent de suis laneis per viginti quattuor grossos. Advocati vero kmethones seu colonos habentes, ita ut alii domini cum suis colonis ad ratas suprasciptas contribuent videlicet de qualibet laneo viginti quattuor grossos. Quia vero nonnulli advocati et sculteti ac nobiles pauperes, ut colludant cum exactoribus nostris et reipublicae onera evitent, collocare solent kmethones in parte agrorum advocatiae suae aut bonorum suorum etiam minori uno laneo, ut ab eis solummodo contributio exigatur et ipsi soli ab huiusmodi exactione sint liberi, tales poenis nostris regiis^o subiacebunt, quos exactores diligenter annotabunt.

Item nobiles pauperes colonos et census non habentes de qualibet laneo culto solvent sedecim grossos. Qui vero non colunt soli agros nec colonos in eis habent, sed locant pro censu pecuniario ipsos agros suos, solvent ab octognita marcis decem^p octo florenos in moneta ita, ut a censibus nudis pecuniariis alii omnes contribuent.

Illi vero nobiles, qui non habent laneos sed praedia, computatis eiusmodi eorum praediis in laneos, solvent de qualibet laneo sedecim grossos. De medio vero laneo octo grossos, de quarta parte lanei quattuor grossos et reliquum de quantitate laneorum secundum antiquas quietantias. Qui autem ita rebelles et obstinati antea fuerint, ut nullas contributiones superiori tempore de bonis suis solverint neque antiquis quietationibus se tueri valuerint, tales secundum possessiones suas dare et solvere eandem contributionem modernam omnino teneantur, praesertim cum neminem propter necessitatem reipublicae exemptum ab ea esse volumus, non obstante quavis consuetudine sive^q potius abusu contrario.

Ubi autem duo, tres vel quattuor nobiles pauperes unum laneum colunt, solvent omnes de eiusmodi laneo sedecim grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et

ⁿ florenorum MK₂. ^o Brak w MK₂. ^p sedecem MK₂. ^q sine MK₂.

portionis laneorum, videlicet medietatem pro dominica post Conductum Paschae proxima, que Misericordia appellatur, aliam vero medietatem pro festo sancti Bartholomei Apostoli.

Item civitates et oppida, tam subditorum nostrorum quam nostra regia spiritualium et saecularium in toto regno nostro exactionem civilem, quam *schoss* vocant duplam iuxta antiquas quietantias solvent et contribuent, non obstante libertate ipsis propter conflagrationem concessa, quae valere non debet, propter hanc reipublicae praesentem necessitatem nisi in illis civitatibus et oppidis quibus huiusmodi libertates a quattuor annis sunt concessae. Aliae vero ulterioribus annis emanatae robur quo ad hanc publicam huius anni contributionem non debeant habere, quae quidem exactio civilis dupla solvi debet per easdem civitates et oppida, prima videlicet medietas incipiendo a dominica Palmarum et desinente^r usque ad dominicam Misericordia, alia vero medietas incipiendo a festo sancti Laurentii et desinendo usque ad festum sancti Bartholomei Apostoli inclusive.

Item villae vastatae, exustae et libertatem habentes que non solvunt censem dominis suis sive earum incolae liberi sint et esse debent a solutione contributionis in praesenti conventu constitutae.

Item inquillini in civitatibus sex grossos in villis vero tres grossos, qui neque civilem exactionem neque de laneis solvunt et similiter piscatores circa fluvios et alias aquas residentes, qui nullos agros habent. Item rustici septimanatim laborantes, solvent sex grossos.

Item contributio cerevisiae, vini, medonis, malmatici, muscatellae, *czopowe* dicta in huiusmodi civitatibus et oppidis ac tabernis villarum, tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Pentecostes proximo [9 VI 1538] ad integrum annum a singulis cerevisiae coctoribus more solito solvi debet ex quibusunque braseis fuerit cerevisia cocta, sive brasea ipsa sint^s civium et dominorum sive ex molendinis provenientia et emensurata^t sive domi facta. Item etiam a cerevisia quam domini et nobiles ex braseis suis coquunt seu braxant et illam dant ad propinandum suis tabernatoribus, ac etiam de cerevisia externa, ut Suidnicensi^u, Theschinensi, Bernouiensi et alia quacunque, contributio ipsa *czopowe* solvatur.

Item tabernatores hereditarii qui advectitiam propinan cerevisiam per viginti quattuor grossos secundum exigentiam agrorum quos possident. A coctura autem cerevisiae domestica iuxta exigentiam contributionis *czopowe* exsolvant. Manuales vero tabernatores sex grossos hoc anno exolvent ad ratas temporum suprascriptas.

Molendina vero villarum tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium quae *pozrzebne*^v vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia ex singulis rotis sex grossos solvent. Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et *folusze*^w ex singulis rotis molendinorum suorum quae *walne* dicuntur unum fertonem persolvent ad ratas temporum suprascriptas. Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civitatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quietantias contributionem, quae *schos*^x dicitur duplam a qualibet marca taxae quattuor grossos persolvent pro dominica proxima post Conductum Paschae unam contributionem *schos* integrum. Aliam vero pro festo sancti Bartholomei Apostoli.

Molendina vero ventilia duodecim grossos. Illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent ad ratas duea temporum suprascriptas. Et similiter illa molendina quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regiorum exemerunt et illas a se emptas in summis pecuniarum obligatas tenent ad usum et utilitatem suam solvent contributionem, quae *schos* dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno nostro, seu illorum molendinatores eam solvere conseruerunt contraria consuetudine quae corruptela potius dici^y debet^z, penitus non obstante. Quorum autem molendinorum nostrorum capitanei nostri de mandato nostro et pecuniis nostris tertiam mensuram redemerunt ad nostram^{aa} utilitatem ex illa nihil solvi debet.

Minerariae officinae alias ferrum facientes et ferrae hereditariae ex singulis rotis per fertonem. Annales autem officinae minerariae et similiter annuales ferrae hoc est locatae seu conductitiae a qualibet rota sex grossos solvent.

Item sacerdotes Rutheni, qui popones dicuntur, ex singulis ecclesiis et synagogis unam

^r desinendo MK₂. ^s sunt MK₂. ^t emensura MK₂. ^u Swydnicensi MK₂. ^v poszrzebne MK₂.

^w folysse MK₂. ^x Tu i poniżej w MK₂: schoss. ^y Brak w MK₂. ^z debebet MK₂. ^{aa} nostrum MK₂.

sexagenam grossorum. Protopopones vero alias *namiesnici^{ab}* per duas sexagenas in moneta solvent. Et similiter popones Armenici.

Item episcopi Armeni et Rutheni *wladicae* de censibus suis pecuniariis nudis quibuscumque solvent etiam quemadmodum et alii ob octoginta marcis decem octo florenos per medium sexagenam computatos alias secundum quantitatem census a singulis videlicet marcis usualibus sex grossos cum medio.

Item dantes pecunias suas quibuscumque personis pro anno censu etiam ab octoginta marcis pecuniarium decem octo florenos solvent alias secundum quantitatem summae a qualibet marca usuali sex grossos cum medio. Solutio autem a censibus nudis modo suprascripto fieri debet medio uniuscuiusque solventis iuramento et medietas summae solvenda ab iisdem censibus pecuniariis nudis dari et solvi debet pro dominica post Conductum Paschae proxima, alia vero medietas pro festo sancti Bartholomei Apostoli.

Et quicunque deprehensus fuerit fraudem aliquam in solutione ab ipsis censibus nudis pecuniariis commisisse et non iuste^{ac} in quod debet solvisse duplum solvere teneatur.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent vel areis^{ad}, quea *dworziszca* dicuntur, duodecim grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter duodecim grossos solvent, sex grossos pro prima et reliquos sex pro secunda ratis superioris expressis.

Item Iudaei omnes et singuli in regno nostro ex omnibus civitatibus et oppidis tam nostris quam quorumcumque subditorum nostrorum spiritualium et saecularium patres familias sive hospites, hoc est qui rem suam familiarem pro se ipsis agunt et exercent, sive quod dici vulgo solet, qui panem suum comedunt, omnes huiusmodi vitam iam degentes solvere tenentur fideliter sine ulla fraude et dolo medium sexagenam, hoc est triginta grossos pecuniae usualis ad duas temporum ratas suprascriptas, hoc est pro dominica Conductum Paschae proxima quindecim grossos et pro festo sancti Bartholomei Apostoli reliquos quindecim grossos non obstante, quod multi huiusmodi hospites in una domo habitent. Alioquin si aliqui in ea re fraudem committentes deprehensi et delati fuerint, poenis arbitrio nostro regio in eos extendendis subiacebunt.

Quia vero nonnullae civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium eam sibi vitande iuste contributionis *czopowe* excogitarunt viam, ut a nobis impetrarent, quo sibi liceret certa summa pecuniae eandem contributionem integri anni redimere. Propterea nos necessitati reipublicae commodare volentes et postulationi nuntiorum terrestrium annuentes statuimus, ut eam ipsam contributionem *czopowe* non secundum impetrations suas et concessionem nostram sed integre quemadmodum debent et quemadmodum ex dictis civitatibus et oppidis provenire debet, hoc anno ad necessitatem reipublicae exsolvant.

Praeterea etiam eorum inventis obviam ire volentes, qui ex incommmodo et detimento reipublicae suis commodis studere consueverunt arendandum eas ipse contributiones ducillorum quae *czopowe^{ae}* appellantur. Propterea statuimus de consilio et consensu consiliariorum regni nostri et nuntiorum terrestrium, quod nemo huiusmodi arendas facere aut petere audeat, quas nos nemini faciemus aut si fortasse aliquis, id a nobis per oblivionem impetraverit, irritum esse debet et nullius momenti, sed omnia quaecunque ex eadem contributione provenient, fideliter debent colligi et ad necessitatem reipublicae converti.

Exactor autem omnium et singularum praedictarum contributionum inferius descriptus eas ipsas contributiones modo et ordine suprascripto fideliter exiget et collectas in manus magnifici thesaurarii regni nostri perfert et integre comportabit, iuratusque esse debebit et iuramenta a spiritualibus et saecularibus sive eorum nuntiis et factoribus, qui tamen debent esse nobiles fide digni contributionem a censibus pecuniariis nudis hoc modo institutam^{af} solventibus^{ag} recipiet.

Ut autem suprascripta ordinatio in exigendis contributionibus facta debite executioni demandetur in palatinatu^{ah} et districtibus^{ah}, exactorem infrascriptum videlicet generosum^{ah} de consilio universi senatus et nuntiorum terrestrium designavimusque et constituimus, designamusque et constituimus praesentibus litteris nostris.

Qui quidem exactor in conventu particulari palatinatus sive terrae sua proximae a nobis

^{ab} namyesthnydzi *MK₂*. ^{ac} iusti *MK₂*. ^{ad} arcis *MK₂*. ^{ae} czopoue *Dr.* ^{af} institutum *MK₂*.
^{ag} solventes *MK₂*. ^{ah} *W Dr. i MK₂ pozostawiono okienka*.

indicendo faciet coram nobilitate sive ab eis deputatis et deinde in conventu regni nostri generali proximo coram nobis et consiliariis nostris plenam et exactam rationem de omnibus contributionibus palatinatus sive terrae, in qua fuit exactor, specifice et singillatim demonstrando, quantum videlicet de singulis exactionibus suprascriptis proveniat, a qualibet seorsum faciet et referet, ut sciri possit, quae summa pecuniarum ex unaquaque contributionum publicarum praedictarum colligatur. Quietationes ad alium quam ad reipublicae usum ab eisdem exactoribus ostense et exhibite valere minime debebunt.

Quia vero multi quaerentur, quod contributiones praedictae, quae pro necessitate reipublicae regni laudantur et instituuntur non integre ab exactoribus comportantur. Ideo nos providere volentes, ne id quod ab omnibus pro communi bono et necessitate contribuitur, alio subducatur in fraudem ipsius reipublicae regni nostri, decernimus et ordinamus, ut coloni, qui ad solvendas ipsas contributiones publicas obligantur, quisque ad dominum suum seu possessorem villae, quam incolit aut ad factorem sive praefectum, dominus vero seu possessor sive praefectus ad exactorem integre et fideliter eam ipsam contributionem publicam deportare teneatur^{ai}, debitque dominus sive possessor aut factor villae exactori contributionem accipiendi recognitionem litterariam obsignatam et subscriptam, quo evidentius appareat, quantum ex aliqua villa vel bonis ratione dicte contributionis sit solvendum. Quod ipsum et nobiles pauperes quisque pro se facient. Exactor vero in recipiendo a domino sive possessore villae et bonorum eiusmodi contributionis publicae pecunia quietantias priores inspicere debebit ex quibus deprehendet, si iuste contributio ipsa per dominum et possessorem villae seu bonorum illi afferetur, nec ne.

Quare vobis omnibus et singulis suprascriptis mandamus, ut pro temporibus seu ratis superius expressis in manus praefati exactoris nostri easdem contributiones secundum quod ad unum quemque pertinet modo praemiso persolvere curetis. Vos vero exactores diligenter illas colligatis et pro ratis superius designatis colligere non negligatis. Eos vero qui in solvendis eis negligentes fuerint, locorum capitaneis deferatis. Vobis etiam capitaneis quorum interest mandamus, ut easdem contributiones superius expressas in locis, civitatibus et oppidis capitaneatus vestri proclamari publice faciatis et ad manus praefati exactoris nostri pro ratis supra expressis sub poenis ad hoc constitutis exolvi nostro nomine ad necessitatem reipublicae mandetis absque cuiusvis more et dilationis interventu. Negligentes autem in solvendo et contumaces per pignoraciones et alias poenas solitas ad solvendum easdem contributiones compellatis sub poena centum marcarum pecuniae quam capitanei negligentes executionem et pignoraciones exsolvere in conventu generali proxime celebrando tenebuntur et quisque eorum tenebitur, postquam delatus et convictus in negligentia fuerit. Si vero contingerit quod exactor aliquam villam iniuste quasi contributionem non exsolvisset, detulerit et ^{aj}capitaneus postea ^{aj}ad pignoracionem^{ak} mittens, quietationem apud eosdem colonos invenerit, extunc talis exactor poenam quattuordecim marcarum propterea succumbet, quae capitaneo, quem frustra fatigavit cedere debebit, pro qua poena exactor citatus coram nobis vel iudicio terrestri respondere et satisfacere tenebitur. Ne autem aliquis error in quietationibus exhibendis committatur, statuimus quod exactores in quietationibus diem, mensem et annum, qua contributionem accepit, diligenter adnotent et in regestra sua diligenter referant. Similiter etiam diem, qua negligentes et non solventes villas capitaneo detulit in regestrum^{al} diligenter adnotet, ne quis error et implicatio rerum accidere posset.

Quietationes vero antiquas non debent exactores discepere sive lacerare vel ipsas ad se recipere, sed eas rursus his, qui eas attulerunt, restituere pro officio vestro et gratia nostra aliter non facturi. Datum Piotrcoviae in conventione generali feria quinta ante dominicam Invocavit, anni Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo [7 III 1538], regni vero^{am} nostri anno trigesimo secundo. Ad mandatum Sacrae ^{an}-Regiae^{ao} Maiestatis^{an} proprium^{ap}.

^{ai} teneant MK₂. ^{aj-aj} capitaneatus ea MK₂. ^{ak} pignoraciones MK₂. ^{al} regestrumque MK₂. ^{am} Brak w MK₂.
^{an-an} Maiestatis Regiae MK₂. ^{ao} Brak w MK₂. ^{ap} Na verso ostatniej karty pozostały ślady pieczęci podkanclerskiej.